

ad fretum Herculeum perlabitur. Ommittimus, ingressus, flexus, et egressus, quos Ægæum, per sinus Strymonicum, Singiticum, Thermaicum, deinde per Saronicum, et Corinthiacum facit, diversos semper, sæpæque contrarios. Non igitur, hæc tot maris motuum, ac tanta diversitas, Solis motum semper imitatur, aut sequitur. Sed diversitatis huius, littorum positus, et canales, et freta, et Euripi sunt causa. Et maris ipsius fuga a contrario, natura sibi, perpetuoque insita. Sed magna apud veteres fuit, et anceps quæstio, utrum mare hoc nostrum Mediterraneum a Ponto sit effectum, in ipsum per Byzantium Bosporum defluente, an vero potius ab Oceano, per Herculeum fretum indeclivia Sardoï Siculique decurrente. Strato quidem Physicus Peripati alumnus, existimavit Pontum aliquando exitu caruisse. Sed fluminum multitudine ita auctum, ut vi exitum, qui est ad Byzantium sibi paraverit, et in Propontidem, et Hellespontum, eruperit, et id mare effecerit. Et hoc iterum aucto, in Ægæum aquam defluisse, usque in profundissima Creticum, Siculum, Sardoum. Sed videtur sibi contraria dicere, dum ait, ab externo mari, ab Oceano nimirum, apud columnas Herculis fretum porrupisse. Causam vero affert, quod externi maris aliud sit solum, quam interni. Quod Strabo ex Stratone retulit. Plinius autem mare hoc nostrum ab Oceano ortum esse ait. Scribit enim ita.

“Origo ab occasu Solis, et Gaditano freto, quam irrumpens Oceanus Atlanticus, in maria interiora diffunditur.”

Et alio loco, aliorum recitat opinionem.

“Non est ommittenda multorum opinio, priusquam digrediamur a Ponto. Qui maria omnia interiora, illo capite nasci, non Gaditano freto existimavere, haud improbabili argumento, quoniam æstus semper a Ponto profluens, numquam recipocetur.”

Solinus vero priorem sententiam est secutus, Atlanticum æstum, in nostrum mare dissidium immittere dicens dum a Solis irrumpit occasu. Dissidium hoc qua nos conciliabimus ratione? Propontidem, et Hellespontium, et Pontum, et Moeotim, nullo modo effici ab Oceano potuisse, cum tamen inter Mediterranea maria videantur numeranda. Quoniam nec Ægeum, nec mare aliud, per Abydenas fauces, in Hellespontum ascendat. Hæc autem in inferiora, Ionium, Siculum, Sardoumque cum descendant, rationi est consonum hæc a Ponto fuisse derivata, usque ad loca maxime declivia. Rursus cum Oceani fundus altior Mediterraneo sit, rationi itidem consentaneum est, ab Oceano in decliviora Sardoï, Siculique maris, aquas confluisse. Sardoum itaque, et Siculum, et a Ponto, et ab Oceano, sunt effecta, non ab alterutro, sed ab utroque. Totumque interius mare, aquis utrorumque in eundem locum confluentibus, fuisse in superficie complanatum. Si vero verum sit, quod iam retulimus, et quod Gaspar Contarenus Cardinalis retulit, mare quod a Ponto fluit, ea quam descripsimus littorum circuitione, per Africana, et Hispanica littora in Oceanum exit. Et quod Gonzalus de Oviedo, scripsit, Oceani aquas, per Gaditanum fretum ingruentes, usque ad Alexandriam Ægypti per eadem Africana littora procurrere, necesse fuerit, nautarum observationibus quæstionem hanc permittere dirimendam. Nam si prior illa vera sit, falsam erit hæc secunda, si vera fuerit hæc, falsa videatur prior. Non videntur enim contrario fluxu utræque posse esse veræ. Vel si veræ sint, alteram necesse erit littora proxime lambere, alteram vero a littoribus procul magis, illi non occurrere, sed proxime attingendo, itinere contrario eam præterire. Neque vero id est impossibile. Mare enim, præter eas, quas recensuimus currentes, quæ omnes ei a natura videntur insitæ, etiam alias habet, partim etiam ex utroque commistas. Quas huc conferre, a re preposita non fuerit alienum.

Nam inter eas vel syrtes, vel seccas, vel scagnos, vel bancos, vel freta, vel canales, et promontoria mare varios edit motus, vel enim sunt incursus tantum, vel incursus, et recursus. Vel sunt currentes, vel sunt quas vocant traversias, vel sunt vortices, veu vertigines. Hæc explicemus.

Incursus tantum ille est, quando mare, intrat tantum, non etiam iterum exit. Qualem dixere esse in Magellanico ab Oriente, in pelagus Pacificum.